



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**

**Ingolstadij, 1726**

Casus XXV. De Ludente alienis pecunijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

## CASUS XXV.

*De ludente alienis pecunijs.*

**A**ndreas Clericus in Majoribus constitutus, cum Cajetano è vacationibus autumnalibus reduce ad aleas ludens, ab hoc sine omni fraude ac dolo triginta florenos lucratur. Postea autem intelligit, quod illæ pecuniæ à Patre Cajetani submissæ fuerint, ut ejusdem Patrifamilias, cujus convictu præterito anno utebatur Cajetanus, residuum adhuc debitum perfolveretur. Occasione hujus Casus.

Q. 1. Num lusus alearum fit Clericis ac Religiosis illicitus?

Q. 2. An lucrum prohibito ex ludo acquisitum restitui debeat?

Q. 3. Quid sentiendum de ludo, in quo res aliena fuit deposita?

Q. 4. An lucrum retinere possint, qui in ludo rem alienam, & non suam deposuere.

Q. 5. Quid nostro Clerico Andreae sit respondendum?

## SYNOPSIS.

1. Natura, & diversitas ludorum exponitur.

2. Leges civiles prohibentes lusum alearum non obligant sub mortali.

3. Ex intentione lucrandi ludens per se non peccat graviter.

4. Ad justitiam ludi certa sunt conditiones necessariae.

5. A nimio lusu avertendi sunt peccantentes à confessarijs.

## §. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

*Num lusus alearum, hoc est, nitens magis fortunâ, quam industriâ sit Clericis, & Religiosis illicitus?*

- |  |  |
|--|--|
| <p>6. Adducuntur rationes, illicitum hunc lulum Religiosis, ac Clericis probantes.</p> <p>7. Vi Juris communis per se non peccabunt aleis ludentes Clerici.</p> <p>8. Nisi scandalum populi accesserit.</p> <p>9. Ordinarius potest suis Clericis gravem obligationem circa hoc imponere.</p> <p>10. Ludentes in monasterio exempto Clerici non incurrunt excommuni-</p> | <p>cationem ab ordinario in sibi subiectos Clericos latam.</p> <p>11. Cum ejusmodi monasteria non solum in ordine ad Religiosos sint exempta.</p> <p>12. Hinc nec pœnas per sententiam in ludentem Clericum latas ibidem incurrunt.</p> <p>13. Aliud dicendum de Religiosis, quæ superiores alearum lulum inbibuerunt.</p> |
|--|--|

## §. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*An lucrum prohibito ludo acquisitum à victore sit restituendum?*

- |   |  |
|---|--|
| <p>14. Tres diverse sunt in hoc puncto Aulhorum opiniones.</p> <p>15. Ante sententiam condemnatoriam Judicis nulla datur obligatio.</p> <p>16. Non obstante turpitudine ludi prohibiti.</p> <p>17. Verba legis alearum: Cod. de Relig. quomodo sint intelligenda,</p> | <p>18. Nec obstat lex non dubium: C. de L. L.</p> <p>19. Qualiter leges Hispaniæ prohibeant eleemosynas ex taliter acquisitis.</p> <p>20. Quid si Victor impediatur Judicem, ne se ad reddendum lucrum condemnet?</p> <p>21. Si Judex victorem ad restitutionem non condemnet, eris iste immunis. <span style="float: right;">22.</span></p> |
|---|--|

22. Qualis etiam erit, si victus ex pudore non adeat Judicem. si reum non condemnet, tenetur victo compensare lucrum ex suo.
23. An victor Judici negans lucrum ad aliquid teneatur?
24. Jusse requisitus à victo Judex, si reum non condemnet, tenetur victo compensare lucrum ex suo.
25. Victus, qui creditò lusit, rem perditam lucranti tenetur solvere.

## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid sentiendum de ludo, in quo res aliena sui deposita?

26. Ut justus sit lusus, in ludentibus requiritur inimpeditum dominium disponendi de rebus in ludo expositis.
27. Rem alienam ipso usu consumptibilem, bona fide in ludo obtentam, & absumptam, non tenemur comparanti postea Domino restituere.
28. Quid si pecunia aliena in ludo deposita fuerit?
29. Deceptor tenetur victori de estimatione rei bona fide per ludum obtenta,
30. Res aliena à bonæ fidei victore obtenta, suo postea comparanti Domino debet restitui.
31. Hanc tamen victo reddere poterit, si aliter valorem illius ab illo recuperare nequeat, postea, quod emens rem alienam bonæ fide possit illam ex simili causa fieri reddere.

## §. IV.

## Resolvitur quartum Quæsitum.

An lucrum ex ludo acquisitum retinere possint, qui aliquid perdere non potuerunt, eò quòd rem alienam in illo deposuerint?

32. Ratio Patris Laymani tenentis in hoc negativam.
33. Con raria circa hoc opinio Patris Lessij explicatur.
34. Lugo censet validum talem lulum fore, licet uterque fuerit male fidei.
35. Num alter collusor censendus sit

- consentire in huius contractus in-  
qualitatem?
36. Ob eiusmodi inaequalem contra-  
ctum lusorium depositor rei alienae,  
tenetur victori, fraudis ignaro de  
evictione.
37. Alienae rei depositor, si victor  
evaserit, lucrum innocenti victo  
restituere tenetur.
38. Ad quid decipiens victor obli-  
gandus, si victus collusor omnium  
fuerit convictus.

## §. V.

## Resolvitur quintum Quaesitum:

## Quid nostro Clerico Andreae sit respondendum?

39. Difficulus à mortali absolvi no-  
ster Andreas poterit.
40. Non tenetur tamen ad restitu-  
tionem praecise, quòd ut Clericus  
luserit.
41. Sed quia contractus fuit nullus.
42. Et scivit, quòd Cajetanus sit  
ad hoc minorem.
43. Aliud dicendum esset, si hoc in-  
culpabiliter nescivisset.

**L**udus est contractus, quo lu-  
dentes inter se paciscuntur,  
ut victori cedat, quod uterque  
deposuit. Dividitur in ludum alea-  
rum, & in ludum virtutis: sub  
priori venit omnis ludus, qui  
magis fortunâ, quàm industria  
utitur, talis ludus est, qui tes-  
feris, taxillis, chartis &c. Pe-  
ragitur, ludus virtutis est, in quo  
pro virtute, seu industria certat-  
ur, uti fit in cursu, saltu, lucta,  
cæterisque virtutis seu industriae  
exercitamentis.

<sup>2</sup> Etiam si autem lege *1. ff. de  
Alea lusu* & *alea. & Authentica:  
Alearum usus: Cod. de Relig. &  
sumpt. fun. alearum* & cæteri, qui  
magis fortunâ, quàm industria  
utuntur, ludi interdantur, ejus-

modi tamen lutores nullum pe-  
ccatum mortale per se juxta com-  
munem incurrunt: tum quòd ha-  
rum legum latores, eò quòd sint  
civiles, ad culpam mortalem ar-  
ctare noluerint: tum quòd illæ  
leges de materia justitiæ non tra-  
ctantes instar cæterarum, quæ  
alias virtutes intendunt, ut pluri-  
mum ad veniale solum obligent,  
Accedit, quòd prædictæ leges  
quoad effectum & mortalis pec-  
cati vinculum nequaquam usu re-  
ceptæ sint, ejusmodi enim lu-  
dentes à confessarijs absque ul-  
lo scrupulo absolvuntur, nisi  
in quantitate materiæ excedentes  
damnum magnum suæ rei dome-  
sticæ intulerint.

Maneat itaque, Non illicitum, sed permissum utriusque hujus speciei ludum esse, servatis certis circumstantiis, prout cum Salas tract. de ludo dub. 1. Sanchez lib. 1. consil. cap. 8. dub. 24. n. 2. fatentur omnes. Quamvis tum per excessum, tum per defectum in lusu delictum committi possit. Neque ex intentione lucrandi bona proximi, mortalis evadit ludus, cum hæc solummodo per contractum onerosum appropriare sibi ludentes desiderant, quod tam parum videtur esse malum, quam parum iniquum apparet desiderium, quo volumus, ut alter res quasdam suas nobis mediante donatione relinquat, & licet nonnulli Authores cum Navarro in manuali cap. 19. vel 20. Afferant, veniale peccatum committi ab eo, qui ob alium finem, quam ob recreationem, propter quam lusus est institutus, v. g. ob lucrum, ludit, assertum tamen istud rejicit de Lugo n. 4. disp. 31. sect. 1. de Just. eo quod minimè peccaminosum appareat, ordinare aliquid ad alium, quam propter quem inventa est, finem, casu, quo hic etiam sit licitus: hinc cum moderatum lucrum non sit illicitum, ob hoc cum alijs ludere prædicto Cardinali ne quidem venialiter culpabæ videtur. Neque culpam prodigalitatæ ex intentione lucrandi ludens incurrit, licet pecuniam fortunæ exponat; eo quod pecuniam peri-

culo quidem cuidam exponat, non tamen sine causa; cum hæc expositione spem majoris cujusdam lucri quasi emat. Denique licet ille actus dicatur otiosus esse, qui ad nullum honestum finem est utilis, ex hoc tamen non bene inferitur, ludum animo lucrandi institutum fore otiosum, cum hic sit ad majus faciendum lucrum, sine periculo æqualis, minoris, aut majoris jacturæ hæc & nunc non obtinibile, ordinatus, præterea cum desiderium lucri, si hoc non sit nimium, non semper avaritiam contineat, inferimus, etiam ob honestum lucrum ludentem nullius avaritiæ accusari posse.

Etiamsi autem ludus licitus possit esse, ut tamen sit justus, veriis ille conditionibus debet esse instructus: quarum prima est, ut exponens rem aliquam ludo, hujus dominium vel administrationem liberam habeat. Altera est, ut ludens ad ludendum non sit coactus, vel dolo ad ludum inductus. Tertiò requiritur, ut remotis fraudibus ludatur æquè. Quarta conditio ad justitiam ludi requisita est æquitas, ita ut uterque periculum subeat & spem lucrandi habeat.

Monent tamen multi Authores non imprudenter confessarios, ut quantum possunt, plus æquo deductos ejusmodi lufibus & quidem animo multum lucrandi ab eis avertere omni ratione curent, quod

quod communiter à veniali excu-  
sari nequeant, & sapissimè in  
mortale prolabantur: tum quod  
animus multa lucrandi sit actus  
inordinatus, contrarius fini ( qui  
est animi recreatio ) per lufum  
intento: tum quia homo industriã  
suz rationis pecuniam comparare,  
& conservare obligatus, hac omiffã  
fortuito eventui suas res commit-  
tit, præbetur insuper conjugibus,  
liberis, & famulis, occasio par-  
vi pendendi ejusmodi bona, cum

videant suos heros uno in lusu  
magnam pecuniæ summam perde-  
dere. Videntur etiam ejusmodi  
aleatores anticitæ leges violare,  
dum amicos, quæ benefacere  
deberent, ludendo suis rebus ex-  
poliant.

Denique experientia docet, pau-  
cissimos ludis similibus ditescere,  
cùm plerumque ad inopiam ver-  
gant, multa mala, & vitia insu-  
per addiscentes.

## §. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

*Num lusus alearum, hoc est, nitentes magis fortunã,  
quã industriã Regularibus sit illicitus?*

Vidimus hæcenus, lufum alea-  
rum sæcularibus personis,  
nequaquam sub mortali, aut ve-  
niali per se prohibitum esse: su-  
perest, ut etiam de Clericis, ac  
Religiosis, quorum status solet ef-  
se perfectior, agamus. Audia-  
mus itaque rationes, ob quas  
communiter his personis illicitum  
alearum usum esse asserunt.

6 Pro hac sententia facit *cap. Epi-  
scopus: 35. dist. 8. cap. inter dile-  
ctos de excessibus Prælatorum*: in his  
præcipitur, ut Clericus ob lufum  
alearum ab officio, vel beneficio  
deponatur: atqui depositio deno-  
tat notabilem culpam: ergo no-  
tabilis in Clericis culpa est lufus

alearum. Minor constat ex *cap.  
non offeramus 24. q. 1. item in cap.  
Clerici: de vita & honestate Cleri-  
corum*: de eisdem dicitur: *ad aleas  
& taxillos non ludant: nec hujus-  
modi ludis intersint.*

Secunda ratio, illicitum talem  
lufum ostendens, desumitur ex  
Tridentino *sess. 22. cap. 1. de Re-  
format. ubi statutum est, ut iis-  
dem poenis, vel etiam majoribus  
arbitrio ordinarij imponendis etiam  
imposterum afficiantur lufores  
Clerici, quæ alias à summis Pon-  
tificibus, nec non sacris consilij  
de Clericorum vita, honestate,  
cultu, doctrinæque retinenda, ac  
de aleis &c. lufibus &c. fugien-  
dis*  
Xx 2

dis providè statuta, & decreta fuerunt.

Tertia: quia reditus è bonis Ecclesiasticis provenientes, atque ad causas pias ex mente fundatorum applicandos, in profanos & malos usus expendunt.

Quarta: talibus lufibus Clerici valde magnum scandalum secularibus virtutis studiosis præbent: ergo &c. Prob. ant. quo majorem virtutem aliquis profiteretur, eò majus scandalum alijs etiam virtutis studiosis præbet: ergo cum Clerici, & Religiosi profiteantur statum perfectiorem, etiam ludendo majus præbent scandalum.

Quinta petitur ex *Aubent. §. interdicimus: Cod. de Episco. & Clericis*, ubi Episcopis & Presbyteris interdicitur ad tabulas ludere, aut alijs ludentibus participes esse. His omnibus non obstantibus,

Dico primò: si lusus alearum nullo singulari statuto ab Ordinario subjectis sibi Clericis prohibitus fuerit, nequaquam quolibet alearum lusu peccabunt per se graviter. Ita communior Authorum cum Molina *disp. 521*, Prob. concl. vi textuum, de lusu alearum ut prohibito loquentium, solummodo verificatur, quòd Clerici valde alearum lufui dediti peccent: ergo non verificatur, quòd quolibet lusu alearum peccent. Prob. ant. dicitur in textu: *alea deserviens*, sed *alea deserviens* est val-

de lufui huic deditus: ergo solum valde huic lufui deditus peccat.

Confirmatur primò: *Glossa in dictum capitul. Episcopus*: & Sylvester verbo *ludus §. 6. quaestione quarta* innuunt, præpositionem istam *De* in verbo *deservientes* augere rem, ita ut deservire idem sit, ac valde servire: id ipsum habetur in *lege 1. princip. ff. depositi*: ergo qui non multum sunt lufibus istis dediti, vi juris communis non peccabunt graviter.

Confirmatur secundò: enumerati *Canones* hæcæ temporibus non sunt amplius recepti in toto suo rigore: hinc communiter Doctores asserunt, vi illorum de factò non jam obligari nisi Clericos in sacris ordinibus existentes, aut beneficio Ecclesiastico provisos. Ergo non est asserendum, quòd quolibet lusu absque aliorum scandalo inito graviter peccent.

Dico tamen secundò: Clerici & vel Religiosi cum populi scandalo ludentes, transgrediendo leges hæcæ Canonicas peccabunt graviter. Ita Tabiena *Restitutio. §. 19. in fine*: *Armillæ verbo ludus §. 4.* Sorus *lib. 4. de Just. & juv. q. 5. art. 2. in Resp. ad 1.* Navarr. in *Man. cap. 13. n. 9. §. tertio quod lege etiam*. Ludovicus de Bela in *suis respons. casuum. casu 61.* Probatur conclusio ex rationibus antea adductis: cum enim jura citata non loquantur (vel saltem non sint in hoc rigore recepta) de quolibet lusu absque scandalo alijs dato; intelli-



telligendæ illæ sunt de multum, & cum scandalo aliorum ludo deditis Clericis, aut Religiosis.

9 Notatum tamen hic volumus, conclusiones has duas procedere spectato solo jure communi; non enim abnuimus, Ordinarium ex rationabilibus causis sub gravi, uti & sub poena excommunicationis posse subjectis sibi Clericis ejusmodi lusus prohibere. Unde nova movetur quæstio, num Clerici incurrant censuram, si aleis sub poena excommunicationis eisdem ab Ordinario suo per statutum aliquod prohibitis in monasterijs Regularium exemptis ludant? ad quod dubium.

10 Dico tertio, eisdem talem excommunicationem nequaquam incurere. Ita docent Sylvester in *summa verb. excomm. 2. num. 12.* Layman, *lib. 1. tract. 4. cap. 11. n. 5.* Peyrinus *tom. 1. Privil. min.* Busenbaum *lib. 1. tract. 2. cap. 2. dub. 2.* Bordonus à Matre Dei & alij. Prob. concl. in *cap. fin. de constit. in 6. lege fin. ff. de jurisdictione omnium Judicum*, habetur, quod jus dicenti extra territorium non pareatur impunè: ergo statutum Ordinarij non ligat subditos delinquentes extra Diæcesin: atqui existentes in monasterijs exemptis Regularium sunt extra Diæcesin, ergo in istis Ordinario non pareatur impunè. Prob. min. licet exempta Regularium monasteria sint in Diæcesi Episcopi materialiter, sunt tamen

extra istam formaliter; cum enim à jurisdictione Episcopi sint exempta, quoad jurisdictionem Episcopalem se habent, ac si extra Diæcesin essent: ergo &c. Prob. ant. locus exemptus, & locus extra Diæcesin vi Glossæ in *Clement. 1. de foro compet.* æquiparantur: ergo &c.

Neque Dicas, ejusmodi monasteria Regularium non esse per se, ac ratione sui exempta, sed solum ratione personarum, hoc est, duntaxat in ordine ad Religiosos: ergo ludentes in illis clerici etiam incurrent excommunicationem. Contra enim est, quod in *Trident. sess. 14. cap. 2. de reformat.* habeatur. *Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam in loco nullius Diæceseos, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, &c. alterius subditum ad ordines promoveat:* ergo monasterium non solum ratione personarum, sed etiam ratione sui est exemptum; aliàs enim falsum esset, quod Episcopi titulares in monasterio residentes, in loco nullius diæceseos moram traherent, quod tamen in citato textu videtur assertum fuisse. Hoc ipsum nobiscum sentiunt Rodriguez: Bonac. Squillante, Bordon, Sayrus de *censur. lib. 1. cap. 6. n. 39.* Henriquez *lib. 13. cap. 26. n. 2.* Em. Saa verbo *Excommuni. n. 12.* Avila, Præpositus, Lezana cum alijs. sicuti autem statuto

generali Ordinarij, suis subditis alearum lusum prohibentis, nequaquam ligantur clerici sub jurisdictione illius existentes, quando in monasterio exempto aleis ludunt, ita nec poenas per sententiam ab Episcopo impositas incurrunt in istis circumstantijs, juxta Avilam de *cenfur. part. 2. c. 3. disp. 2. conclus. 1. citantem pro se Covarru. Panormit. cap. ut animarum de constit. in 6.* Quia textus ratio æqualiter militat de excommunicatione lata per sententiam specialem. Avilæ accedunt Sylvester Conineck, Alterius, Bonacina de *cenf. disp. 1. q. 1. p. 11.*

Bardonus, Diana *part. 3. tract. 5. resol. 74.*

Dico quartò: si certis quibusdam Religiosis lusum alearum sit graviter prohibitus, nequaquam impunè aleis ludent in monasterijs aliorum Religiosorum, licet istis sit permiffus ejusmodi alearum lusus. Ratio est, quòd præceptum superioris immediatè afficiat Religiosos, horumque quasi offibus inhæreat, consequenter ipsos quocunque se contulerint, sequatur: statutum ex opposito immediatè latum est pro territorio: ergo extra hoc existentes non obligat.

### §. II.

#### Resolvitur secundum Quæsitum.

*An lucrum, ludo prohibito acquisitum, restitui à victore debeat?*

**I**N hoc puncto in tres diversas classes abeunt Doctores: aliqui cum Paludano *4. dist. 15. q. 3. art. 5.* Tuentur, restitutioni obnoxium esse omne lucrum ex quocunque ludo, exercendis viribus non inserviente, acquisitum Divus Thomas *2. 2. q. 38. art. 7. ad 2.* Richardus, D. Antonius, Arm. Sylvester, Tabien: Stephanus Costa, Hostiensis, Rain cum Hugone & Placentia defendunt, ludis per legem vetitis acquisita debere statim restitui,

Denique tertio nonnulli asserunt, ante Judicis sententiam ex ludo vetito quidem, requisitis tamen cum conditionibus inito, obtentum lucrum ante Judicis condemnationem non esse restituum cum hac tertia opinione.

Dico nullam esse obligationem restituendi acquisita ex tali vetito ludo, ante sententiam condemnatoriam judicis. ita præter plures citatos à Patre Sanchez *confli. moral. lib. 1. cap. 2. dub. 1. n. 3.* sententiunt Molina *Disp. 113.* Bannes; Soto

Soto, Medina; Salas, Lessius cap. 26. dub. 3. Lugo de Just. Disp. 31. sect. 4. n. 60. prob. concl. talis restituendi obligatio neque ex jure naturali, neque ex jure positivo deduci potest: ergo non dabitur ante sententiam Judicis.

Prob. primum membrum. talis contractus est de se validus: ergo jure naturali non est irritatus

Confirmatur: quilibet ludens posset absque ludo suam rem suo collusori donare: ergo etiam poterit hac viâ ludendi sua bona alienare.

Confirmatur secundò: in hoc casu lucrans habet justum titulum, hanc rem ut suam retinendi: ergo &c. prob. ant. datur titulus intervenientis pacti, & obligationis, quæ ex condicito utriusque ludentis exoritur: sed hic est sufficiens titulus prob. Maj. quilibet ludentium non quidem vult absolute perdere, vult tamen conditionaliter, ipsius scilicet spe lucrari: ergo cum vi Institut. de rerum divisione §. per traditionem nihil tam naturale sit, quam ut acquisitio fiat secundum voluntatem Domini, dabitur hinc titulus sufficiens.

Sed neque jure positivo: prob. jus positivum aliquos lusus non irritat, sed tantum præcipit restitutionem in judicio post sententiam: ergo à jure positivo non irritantur, & hinc ex illis repor-

tatum lucrum non est restituendum, prob. ant. *lex aleatorum: Cod. de aleatoribus*: ita sonat. *nulli liceat in publicis vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie: etsi contra factum fuerit nulla sequatur condemnatio* (scilicet victi ad solvendum) *sed solum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint &c.* Quod si autem de ludo, quem particulares communitates, aut superiores suis subditis prohibuerunt: instituitur quæstio, harum prohibitionum tenor erit inspiciendus, & videndum, num solum prohibiti, vel etiam omnino invalidati ejusmodi contractus fuerint.

Opponitur contra dicta primò, 16 ludis otiosis lucrari est oppidò turpe: ergo taliter æquisitum lucrum erit restituendum. 2. transmissio ant. neg. conf. ob rationes nostræ conclusionis.

Opponitur secundò cit. *lex 17. Aleorum Cod. de Relig.* dicit si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed si solverit, solutum reddatur. Ergo restitutio talis lucri non erit primò facienda post sententiam judicis. 2. dist. ultima verba legis: solutum reddatur mediantibus alijs actionibus competentibus, concedo: antecedenter ad tales competentes actiones, nego, ita hæc verba esse explicanda ostendunt sequentia: nomine etenim actionum

num veniunt lites alteri intentata.

18 Opponitur tertio: *lex non dubium*: *Cod. de L. L.* aperte supponit, omnem contractum lege prohibitum esse ipso facto irritum: ergo taliter obtentum lucrum retineri non poterit. *¶* dist. supponit, ipso facto fore irritum seu per sententiam irritandum, conc. in alio sensu neg. cum omnes distinguant leges prohibentes ab irritantibus contractum, necessariò non omnis contractus prohibitus erit eò ipso nullus. Reponimus ergo datam legem non ita strictè receptam fuisse, vel praxi contraria abolitam; cum plurimi actus sint lege positiva prohibiti, quin acquiritur per illos sit restitutioni obnoxium: sic multi docent lucrum meretricium, aut ex mercaturâ in loco sacro vel die festo factâ relatum, ab istis personis retineri posse.

19 Opponitur quarto: si taliter acquisitum lucrum non foret restituendum, posset etiam de ludo acquisitis fieri Eleemosyna: atqui vi legum Hispanicarum non potest de illis fieri Eleemosyna: ergo &c. *¶* conc. Maj. dist. min. non potest ex ijs fieri Eleemosyna in præjudicium victi petentis per Judicem sibi talia restitui: conc. absente hoc præjudicio, negatur min. & conf. ne victor conventus à victo, & per sententiam ad restitutionem con-

demnatus se excuset, quòd jam dederit pauperibus, hinc talis prohibitio fuit à L. L. facta.

Opponet aliquis ulterius quinto: si primum post, & non ante sententiam Judicis datur obligatio restituendi tale lucrum; varij casus poterunt asserri, in quibus determinari non poterit, utrum lucrum sit restituendum, vel non. Nam primò potest esse, ut victor impediatur, ne Judex illum obliget ad restitutionem: in hoc casu non potest dici, num lucrum retineri à victore possit, vel non: ergo &c. *¶* explorandum, num per vim, aut fraudem sententiam impederit, vel alio modo: in priore supposito dabitur obligatio, non itidem in posteriore, eò quòd licet victor se defendere possit à Judicis sententia inducente primum obligationem restitutionis.

Secundò: potest contingere, ut victus actione sibi competente petat restitutionem lucri ex illicito ludo sibi ablati; Judex autem nullam sententiam condemnatoriam ferat: in tali casu non potest decidi, utrum victor ad aliquam restitutionem sit obligatus, vel non: *¶* in hoc casu victorem nulla obligatione restitutionis teneri, eò quòd perenti victo solummodo competat aliquod jus repetendi amissum, postquam sententia condemnatoria fuerit lata, ergo hac non posita eidem nihil erit restituendum.

Ter-

22. Tertio: ponamus victum habere quidem jus coram Iudice expectandi ludo prohibito amissum, interea tamen pudore absterritum non audere convenire Iudicem; in hoc casu iterum determinari non poterit, utrum occulta compensatione uti perdati adversus lucrantem liceat: *¶* in tali casu illicitam fore compensationem occultam: ratio est, ob valorem præteriti contractus etiam valida fuit translatio dominij rei deperditæ à victo in victorem: ergo præcisè in illis circumstantijs poterit repetere amissum, in quibus eidem jus repetendi concedunt leges: sed istæ duntaxat hoc concedunt, quando coram Iudice res fuerit repetita, & condemnatio fuerit subsecuta: ergo extra istas circumstantias omni jure repetendi amissa carebit.

23. Quarto: ponamus victorem ad instantiam victi interrogari à Iudice, an & quantum in ludo prohibito lucratus fuerit, eundem autem negare, se aliquod lucrum retulisse; non poterit dici, num reneatur ad restitutionem lucri ipse victor, vel non: ergo. *¶* Decisionem hujus quæstionis pendere ex eo, utrum lex imponens restitutionem sit merè pœnalis, vel civilis? & beneficium istud concessum fuerit victo in ejus bonum & subsidium? si hoc posterius, non poterit victor interrogatus justè negare, eò quòd non agatur de ulla punitioe, sed de re-

stitutione à lege ipsi victo concessa, quòd si tuearis legem hanc esse pœnalem, priusquam uno teste omni exceptione majori semiplenè probatum fuerit lucrum, victor ut examinatus criminaliter negare hoc poterit tanquam rem omnino occultam.

Nequaquam autem purè pœnalem hanc legem esse, deducunt aliqui ex eo, quòd hoc lucrum non deberet ipsi victo restitui, cum hic æquè sit reus, subinde etiam magis, quàm victor. Dein victor, si bona fide lusisset, non posset ad restitutionem condemnari: ubi enim nulla præcessit culpa, non potest infligi pœna, denique licet semiplenè probatum fuisset delictum, si tamen istud nihilominus à victore negatum fuisset, ex hoc tamen ad nullam pœnam teneretur, consequenter neque ad restitutionem, quæ habet rationem pœnæ.

Quinto: ponamus, quòd Iudex à victo conventus injustè re- 24 petitionem supplicanti negaret, non potest dici, quid in hoc casu ipsi victo sit faciendum, *¶* cum Iudex hac ratione injuriam inferat supplicanti victo, & hunc à recuperatione deperditæ rei injustè impediatur, victus non quidem à victore, sed à Iudice compensationem sibi poterit facere.

Oppones sexto: si victus rem 25 ludo perditam, etiam victori traditam potest denuo repetere, tunc, si credito lusisset, & victus alteri

Yy

luc-

succubisset, non teneretur victori rem ludo perditam extradere: prob. quod traditum possum repetere, id antea possum non tradere: nam *lege inuitus*: 198. §. *cui damus ff. de Regulis Juris*: cui jure conceditur actio ad repetendum, & agendum, datur etiam exceptio ad non solvendum: ergo &c. *neg. ant.* si de jure naturæ, & secluso omni jure positivo loquamur. Ratio est, quod contractus ab illis celebratus ju-

stus, consequenter obligatorius fuerit. jus positivum, quod attinet, videndum, utrum leges solummodo prohibeant tales lusus, aut etiam invalident. Dein utrum restitutio lucri repetenti facienda, habeat rationem pœnæ vel non? si loco pœnæ sit imposita, non debet victus solvere ludo deperdita victori, eò quod pœna per sententiam ipsius Judicis sit primùm imponenda, nec antea debita.

## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*Quid sentiendum de ludo, in quo res aliena deposita fuit?*

**D**ico 1. Ut lusus justus & licitus evadat, & lucrum retineri possit, est necessarium, ut ludens liberè de re, quam ludendo exponit, possit disponere, seu ut habeat actuale & non impeditum illius rei, vel pecuniæ dominium aut liberam administrationem. Ita communis: ratio est; omnis ludens sub conditione quadam intendit, dominium rei in ludo expositæ in alium transferre, vel à collusore depositæ rei dominium acquirere: ergo cum nemo rei dominium in alium transferre possit, nisi hoc impeditum habeat aut ejusmodi rei liberam administrationem;

necessarium erit, ut lusores habeant actuale ac non impeditum in rem expositam dominium. Nam juxta *Reg. 79. de Reg. Juris in 6.* nemo plus juris transferre potest, quam ipse habeat: & *Reg. 54. ff. eod. tit.* item id quod nostrum est, sine facto nostro in alium transferri non potest *Reg. 11. ff. eodem*

Dico 2. Qui rem alienam uti consumptibilem, à collusore in ludo expositam hujus doli ignarus, bona fide lucratus fuit, & absumpsit, ad nihil tenebitur: si autem illam necdum absumperit, re cognita debet illam suo Domino restituere. Ita cum communi

ni de Lugo *Disp. 31. sect. 2. §. 1. n. 17.* primum membrum constat: non enim tenetur ex re accepta; eò quòd nihil alienum apud illum amplius existat: non ex iniusta acceptione; quia ponitur bona fide cum deceptore iussit. Quod posterius membrum attinet, illius veritas ex dictis de restitutione constat; quilibet enim à puncto, quo cognoscit rem quandam esse alienam, tenetur istam suo Domino restituere. Dixi, suo Domino rem alienam restituendam esse: si enim hæc desijt esse aliena, non erit priori Domino restituenda, unde.

28 Difficultas hic aliqua moveri potest, num scilicet validus sit lusus, in quo aliena, v. g. furtiva pecunia fuerat deposita? Ad hoc dubium respondent *Salas tract. de ludo dub. 8. n. 3.* Lugo: *cit. Disp. n. 17. sect. 1.* De la Groix *lib. 3. p. 2. n. 1079.* citans Molinam, Sanchez, Sporerum *n. 79.* cum distinctione: vel enim ludens, & exponens pecuniam alienam, habebat, ex quo totum valorem illius suo Domino possit reddere? vel non habebat, nec quoad totum, nec quoad partem? si quoad totum, vel quoad partem pecuniæ alienæ valorem vero suo Domino potuerat reddere, etiam vel quoad totum, vel quoad partem erat lusus validus, & obtentum ab utroque lucrum retineri poterit: sin-

nihil in suis bonis, quo compensaret, habebat, num etiam talis contractus lusorius valuerit, in sequenti § videbimus. Ratio primi est, etsi fur, vel deponens pecuniam alienam non permittendo istam, cum suis necdum fecerit suam, hanc tamen sibi applicare potest, aliam, quam domi habebat, in illius locum subrogando: ergo &c. Quod si autem eidem nihil domi, quod subrogaret, supererat, eandem sibi applicare nequaquam potuit, hinc etiam adverteo à restitutione nequaquam immunem bonæ fidei victorem fore, etsi tales alienas pecunias in ludo obtentas cum suis indiscernibiliter commisceat, & hac commixtione suas efficiat: licet enim illas non teneatur restituere ex iniusta acceptione, tenebitur tamen ex re accepta, cum res aliena in æquivalenti apud illum existat, & lucrans ex alieno evaserit ditior.

Dico 3. Evicta re aliena, quæ per lulum à victore bonæ fidei obtenta fuerat, tenebitur deceptor victori de evictione. Ita Molina Lessius: Lugo, prob, in tali casu lucrans non habuit hanc rem alienam gratis, sed ex quodam contractu oneroso: ergo sicut rem alienam alteri vendens tenetur bonæ fidei emptori de evictione, etiam hic tenebitur. Confirmatur, licet nullum pretium pro tali re expenderit, subijt tamen innocens collusor periculum

Xy 2

per-

perdendi rem suam, quam in ludo exposuerat: ergo cum hoc periculum sit pretio aestimabile, non gratuito, sed ex oneroso contractu rem hanc furtivam consecutus fuit.

30. Dico 4. Si res exposita ludo, ipso usu non fuerat consumptibilis, ubi primum fuerit cognitum, rem alienam esse, a victore etiam bonæ fidei suo Domino restituenda erit. Ita Molina *Disp. 518. Lessius dub. 5. de ludo. Salas dub. 8. n. 1. Lugo n. 13.* Ratio jam fuit superius insinuata.

Dico 5. Supposito quod emens bona fide rem alienam, hanc ipsi furi reddere possit, ut pretium pro ea expensum recuperet, etiam talem bonæ fidei in ludo victorem posse eandem reddere deceptor, si aliter valorem illius ab illo recuperare nequeat. Ita Lugo *n. 13.* ratio est: talis victor hanc rem acquisivit non gratuito, sed ex contractu oneroso, sub periculo scilicet rem suam, quam exposuerunt, perdendi, si victus ab altero fuerit.

#### §. IV.

#### Resolvitur quartum Quæsitum.

*An. lucrum in ludo acquisitum possit retineri ab ijs, qui non potuerunt perdere, eò quod rem depositam non poterint alienare?*

**B**Onacina *Disp. 2. de contractibus q. 3. pu. 2. n. 15.* item Sotus *lib. 4. de Just. q. 5. a. 2.* Sylvester *verbo ludus q. 17. dicto 3.* Angelus *ibidem §. 2. Saa n. 6.* Covarruv. *reg. peccatum p. 2. §. 4. n. 4.* Sanchez *lib. 7. moralium c. 19. num. 86.* citans plures alios. Layman *lib. 3. de Just. tract. 4. c. 21. n. 6.* Diana *tom. 1. tract. de contractibus resolut. 67.* cum alijs defendunt, talem contractum fuisse invalidum, & hinc eodem acquisitum lucrum retineri à victore non posse.

Rationem hujus Layman loco citato affert sequentem: si tale lucrum retineri posset, lusus fuisset contractus: validus saltem jure naturæ: atqui hoc est falsum: prob, min. talis contractus deberet claudicare, & tamen non posset, ergo falsum est, quod fuerit validus. Primum membrum antecedentis constat: qui enim rem alienam, & non suam deposit, ille nullo modo obligatur: ergo si tamen alter collusor esset obligatus, manifestè claudicaret contractus: probatur itaque quod.



quod non possit claudicare, ut claudicatio in quodam contractu locum habeat, debet necessario altera pars saltem naturaliter obligari, ita ut intermedia traditione promissa rei dominium in alterum fuerit translatum, si nec exceptio, nec repetitio rei data accesserint: atqui in hoc casu ista non fiunt: major videtur parere ex instantijs, in quibus claudicare juxta leges contractus possunt, ut videre est in cap. si qua de rebus. 12. q. 2. §. S. pupillus: Instit. de inutilibus stipulat. §. lege Julianus S. si quis a pupillo ff. de action. Empt. Prob. min. deponens in ludo rem alienam nullo modo obligatur: ergo naturaliter non obligatur, & dominium rei alienæ ab illo depositæ non potest transferri in alterum vi juris naturalis. Prob. 26. quilibet ludens videtur hanc conditionem tacite apponere, ut scilicet in lufum, & perditionem rei depositæ non consentiat, si non servetur inter utrumque ludentem æqualitas, & uterque sit paris conditionis tam quoad lucrum, quam quoad amissionem rei in ludo expositæ: ergo ubi hæc æqualitas non datur, deest requisitus ludentium ad alienationem rei depositæ consensus: atqui si deponatur ab uno ludentium res ad ipsum non spectans, nec ab ipso alienabilis, non datur hæc æqualitas: ergo &c.

33 Ex opposito Lessius lib. 2. cap. 26. dub. 5. n. 36. utitur distinctio

ne, vel enim uterque nescivit, rem depositam à deponente alienari non posse, & consequenter bona uterque fide processit; vel uterque scivit, rem à deponente tanquam non suam alienari non posse: aut denique tertio unus illorum id tantum scivit, non autem alter: si uterque scivit, rem non posse alienari, uterque fuit in mala fide, & hinc contractus erat juxta Lessium irritus, & nullus, consequenter nullus illorum quidquam lucrari poterat. Quod si uterque bona fide luserit, & ignoraverit rem depositam alienam esse, Lessius juxta sua principia defendet, eum fuisse validum; non secus ac valida est emptio rei alienæ bona fide facta, transfrens in venditorem dominium pretij. Denique etiam alterius solius bonam fidem sufficere voluit, ut talis contractus valeat, & deponens rem alienam lucrari possit: quod probant ex lege: rem alienam: ff. de contrahenda emptione.

Cardinalis de Lugo de Justitia 34. disp. 31. sect. 3. n. 59. Affirmat, contractum talem fore validum, licet uterque collusor optime noverit, rem alienam esse; rationem dat, quia alter illorum potuit rem suam deponere non pro spe acquirendi dominium rei ab altero non alienabilis, sed pro sola materiali illius possessione ut scilicet, cum in lusu evaserit victor, sibi liceat rem illam à suo coll-

collusorē traditam possidere. nec obstat, quòd hæc extraditio rei alienæ sit illicita & vero Domino injuriosa; quia, ut ait Lugo, etiam accepta ex turpi causa retineri possunt: ergo etiam tale lucrum ex spe hujus illicitæ traditionis poterit retineri, quæ omnia videntur à nobis posse confirmari ex ijs, quæ citatus Card. de Lugo disp. 17. de Just. sect. ult. n. 112, habet de emptione rei alienæ etiam scienter facta, sicut enim in hac emptor intentionem habet transferendi dominium pretij in venditorem, licet sciat à se non transferri dominium rei alienæ venditæ, ita etiam hunc animum habere ludens poterit in lusu.

35. Alij apud Patrem Sanchez n. 27. loco cit. affirmant, ideo talem lucrantem non esse obligandum ad restitutionem obtenti in hoc casu lucri, quia alter colludens impotentiam alienandi rem depositam non ignorans, videtur cedere jure suo, ipsiusque contractus inæqualitatem admittere, ut tamen hæc procedant, exigunt hi authores, ut alter collusor non tantum habitu noverit suum collusorem non posse rem depositam alienare, sed ut hoc etiam actu sciat. Verùm quod opinionem hanc attinet, cum non nisi rarissimè nostra bona ludendo alijs donare, sed communiter omnes cupiditate lucri justè, vel injustè acquirendi at-

tracti ludere consueverimus, ideo nemo censi debet ludendo vel le cedere jure suo, & sciens vel le perdere, non tamen lucrari; clara circa hoc instantiam habemus in ijs, qui rem quampiam etiam scientes majore, quàm quod meretur, pretio sibi comparant, tales etenim emptores non præsumuntur jure suo cedere, atque excessum pretij vendenti condonare, sed censentur potius comparatæ rei desiderio, aut alia necessitate compulsi, excedere in pretio: ergo neque hoc ipsum de tali lusore præsumendum, nec alienam rem deponens ab onere restitutionis deobligandus erit.

Circa hanc controversiam videtur tenendum primò, contractum ejusmodi lusorium non quidem simpliciter, sed tamen aliquantulum validum esse, quando ignaro altero collusore res aliena ab uno scienter in ludo deposita, & bonæ fidei collusor in ludo victor evaserit: Diximus, talem lusorium contractum non *validum simpliciter* & hoc quidem propterea quòd rei deposita dominium in victorem nequaquam transferatur à victo, eò quòd existat illa sub dominio alterius, uti habetur in lege *traditio 20. ff. de acquirend. rerum dominio*: quia autem vi hujus lusûs victus emptori de evictione tenetur, si res deposita in Judicio à suo Domino fuerit evicta; insuper omne-  
dam.

damnum inde ortum eidem victori compensare ipse victus debet, hinc secundum quid talis contractus valebit, non secus ac emptio rei alienæ ignoranter celebrata valet, ita Lellius *de Just. lib. 2. c. 26. dub. 5. n. 36.* De Lugo *Disp. 31. sect. 3. n. 59.* Sporer *tract. 6. in Decalog. csp. 6. §. 1. n. 61.*

Id ipsum quoad aliqua tenendum erit de valore lusûs, in quo re aliena deposita uterque bona fide luserat, & deponens rem suam victor evaserit, etenim talis quoque contractus lusorius erit tantum aequaliter validus: & si res lucrata fuerit evicta à suo Domino, videtur victus, etsi bona fide luserat, obligatus ad rem evictam in æquivalenti reddendam victori, cum ad hoc vi lusûs se tacite obstrinxerit, quod ipsum videtur judicare Cardin. de Lugo, quando *disp. 31. sect. 3. n. 59.* affirmat; si bona fide aliqui lusierint deposita re aliena; ejusmodi contractum lusorium fore validum, quia eodem modo se habet, ac qui rem alienam bona fide vendidit, qui dominium pretij acquirit, tenetur tamen emptori de evictione, ergo etiam perdens lusu rem alienam tenebitur lucranti de evictione.

37 Aliter autem loquendum erit, si formalis deceptor, ac rei alienæ depositor evaserit victor: etsi enim lusum talem nonnulli authores, ut validum agnoscant; obligant tamen om-

nes illi deceptorem ad restituendum decepto victo obtentum lucrum; quia alterum per fraudem injustè ad ludendum induxerat, ob quam injuriam reparare damnum innocenti illatum tenetur, quod nisi restituito lucro fieri haud poterit, quidquid demum de valore ipsius contractûs lusorij teneatur. Quin talis fraudulentus lusor, etiamsi victus fuerit, ab Authoribus obligatur ad faciendam aliquam restitutionem pro periculo, cui collusorem exposuit, nihil lucrandi, si deceptor nihil, unde solvere poterat, habebat.

Quòd si autem uterque sciverit, rem ab uno depositam, alienam esse, videtur nobis probabilior opinio Laymani, & Thomæ Sanchez judicantium, ejusmodi contractum lusorium nequaquam validum: & hinc nullam paritatem hunc inter, atque emptionem rei alienæ esse, eò quòd de lusu nullum jus statutum fuerit, tanquam de contractu minus hominibus necessario, prout tamen de cæteris humano generi conducibilibus, & necessarijs, ut nonnulla decernerentur, boni communis ratio exigebat: præsertim, cum lusum alearum prohibuerint Imperatores in suis legibus. Quòd si autem certò constaret decipienti victori, suum collusorem non ignarum suæ fraudis pro spe solius materialis possessionis transferre sub conditione victoriæ in fraudulentum lusorem dominium rei à se in ludo

ludo depositæ, vel ipsum habere verum animum rem à se in ludo depositam donandi deceptorum, valeret utique contractus, & decipiens, si victor evaserit, dominium talis rei acquireret: hæc tamen neutiquam supponenda juxta Lopezium lib. 2. de contract. & Thomam Sanchez n. 88. loci cit. erunt, nisi deposita quantitas sit ita modica, ut attenda dignitate perdentis, & alijs circumstantijs, jure censeatur esse donatio. Cum itaque utraque sententia tam in-

trinsecè, quàm extrinsecè sit probabilis, confessarius non facile obligabit ejusmodi (de quo hoc numero agimus) deceptorem ad restitutionem rei, quam ut victor ex tali lusu obtinuit, & possidere jam cœpit, eò quòd in dubio melior sit conditio possidentis: examinandæ autem potissimum erunt circumstantiæ, ut, qualis intentio alterius superati collusoris extiterit, colligatur, & num validus, vel nullus ille lusus fuerit, determinari valeat.

## §. V.

## Resolvitur quintum Quæsitum?

## Quid nostro Andrea Clerico sit respondendum?

39 **D**ico, eundem difficultè à mortali excusari posse: non tamen ex eo, quòd quilibet lusus Clericorum etiam absque scandalo celebratus, sit graviter ipsdem prohibitus; neque propter intentionem lucrandi, sed quia cum illo, quem sciebat adhuc sub patria potestate esse, pro tanta summa lusit, hancque ab illo, qui rem suam alienare non poterat, tanquam minor vi legis 1. ff. de Minoribus: & legis pupillus: ff. de acquirend. rerum dominio lucrari intendit, huicque occasionem dedit rem suam dilapidandi: atqui videtur meritò illicitum, dare operam, atque intendere, ut ta-

les minores bona alienent, & malè perdant: ergo &c.

Contrarium tenendum esset, si res, pro qua lusisset, fuisset modici valoris, & illius duntaxat, pro quo à scholaribus communiter ex tacito consensu parentum ludi potest.

Quod restitutionem reportati lucri concernit, non erit hoc restitutioni obnoxium; quia ex ludo prohibito fuit collectum, vidimus enim ex dictis in 2. §. hujus casus, non omnia ludo prohibito obtenta subiacere restitutioni perenti, aut pauperibus distribuenda, quia falsum est, quòd ludo

ludo illicito dantes operam, amittant dominium rei expositæ, sive dein hanc lucentur, sive perdant.

41 Ratio itaque restitutionem triginta horum florenorum extorquens defumitur ex nullitate instituti ludi, ad hujus enim justitiam ex dictis in §. tertio requiritur, ut ludentes rei depositæ impedimentum dominium habeant: atqui hoc non erat penes Cajetanum ludentem, cum spectaret ad Patrem, qui summam submisserat Patri-Familias, cujus convictu filius usus fuerat, ut expungeret debitum à filio Cajetano ob victum illi præstitum contractum, ex quo etiam patet, Cajetano nequaquam concessam fuisse à suo Patre liberam ad alios fines, quam ad expunctionem contracti debiti, administrationem hujus submissæ pecuniæ.

42 Etiam si autem Clericus noster Andreas nesciverit, illas pecunias expungendo debito à Cajetani Patre submissas fuisse, non tamen de fraude poterit conqueri, quia hæc non dicitur fieri scienti & consentienti, vi legis *nemo* 145. ff. de R. J. atqui noster Clericus scivit Cajetanum adhuc sub Patria potestate constitutum, carere facultate tantam summam sine consensu sui parentis alienandi, cum præsumere nequiquam potuerit, parentem non ægrè laturum, quòd suus filius unica in sessione triginta florenos lusibus

absumat. Ergo licet Andream latuerit, quòd hæc pecuniæ sint alterius, quàm Cajetani, optimè tamen sciebat, collusorem suum, tanquam adhuc minorennem & sub Patria potestate constitutum non posse ludo alienare tantam pecuniarum summam: ergo si tamen cum illo luserat, nullam excusationem asserere pro se poterit.

Quòd si autem Cajetanus à 43 Clerico Andrea interrogatus fuisset, num filius familias esset, aut alienare suas pecunias posset, ille autem reposuisset, sibi & donandi, & perdendi has pecunias facultatem competere hæcque ratione mendacijs Andream ad ludendum induxisset, teneretur eadem de evictione Cajetanus, atque ex suo cum tempore compensationem facere, cum vi *cap. ex tenore de rescriptis* dolus nemini debeat patrocinari.

Denique si Andreas Clericus, cum luderet cum Cajetano, nullam penitus reflexionem ad ista habuisset, sed bona fide ludens lucrum relatum postea non minus bona fide alienasset, quin exinde evaserit ditior, consequenter lucrum nec in se, nec in æquivalenti amplius apud Andream extaret, Judico, in foro conscientia eundem ad refundendum aliquid nequaquam obligari posse ex opposito juxta dicta num. 28. ad restitutionem facti lucri ex radice rei acceptæ noster bona fide

Zz

fide

fide ludens obligatus erit, licet pecunias ludo acquisitas cum suis indiscernibiliter permiscuisset, eo quod factus ex alieno ditior fuerit.

Quòd si autem mala fide luffisset, optimè sciens hunc adhuc sub Patria potestate esse, aut pecunias Domino convictus à Patre submissas fuisse, licet lucrum cum suo peculio permiscuisset, ex injusta tamen acceptione teneretur, & simul ex re accepta.

Denique si Cajetanus bona castrenfia, vel quasi castrenfia ha-

buerit, ex quibus totum hunc valorem suo Patri aut Domino convictus refundere poterit, pecunias hasce tanquam rem usu consumptibilem validè exponere potuit. Quod ipsum tenendum effct, si pater huic suo filio licentiam dedisset exponendi singulis annis in lulum triginta vel quadraginta florenos, & hi pro illo anno necdum perditii fuissent, ex his enim postea submissis triginta florenorum debitum Domino convictus potuisset solvere.



## CASUS XXVI.

*De Thesaurario, Principis sui pecunias elocante.*

**P**rocopius, cum Thesaurarium sui Principis ageret, ex hujus apud se depositis pecunijs mille, vel bis mille florenos sine Principis expressa licentia, Sempronio suo amico mutuos concedit, post aliquod tempus Sempronij fortuna, & bona temporalia ita diminuta fuerunt, ut ceteri ejusdem creditores, ne jacturam contractorum apud se à Sempronio debitorum cum tempore paterentur, eundem coram judice de solutione convenerint. Procopius, horum omnium minimè ignarus, videbat ex una parte periculum amittendi Sempronio concessas pecunias, si has cum ceteris creditoribus modò expetere omiserit, ex altera verò etiam noverat, Sempronium, si ad mille vel bis mille florenorum solutionem modò adigeretur, è suo statu deijciendum esse: ut igitur aliquid amicitiae suae, qua

Sem-